



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Stella Mystica

Bonald, François

Coloniae, 1607

Pacem cum proximo necessariam esse illi, qui vivere vult [velit] in
tranquillitate corporis & animae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10014

solam esse quæ animam in pace cū Deo, & propria conscientia confirmat & stabilit: ei que securitatem, qualis in hoc mundo haberi potest, salutis suæ tribuit. Hæc igitur documenta semper memoria circumferre & opere implere stude. hac enim ratione pacem habebis cum Deo, & cum magna cordis & conscientia requie, quæ tale bonum est ut nullo pretio æstimari possit, nauigationem tuam conficies.

Pacem cum proximo necessariam esse illi, qui viuere velit in tranquillitate corporis & anime.

C O N S I D E R A T I O.

REGIVS Propheta Dauid bonum pacis ac fraternæ charitatis cognoscens exclamauit: *Ecce quam bonum & quam iocundum habitare fratres in unum.* Psalm. 131.
 Diuinus hic vates iustam habebat rationem sic exclamandi. Nam quæ admodum nihil est quod vitæ præsentis difficultates magis aggrauet quam dissensiones & discordiæ: ita
 nihil

nihil est quod eas leuiiores efficiat, quam mutua charitas & voluntatum conspiratio. Omnes homines fratres sunt eò quod ab vno Adamo totius humani generis primo parēte processerint; sunt etiam naturaliter societatis amantes, & mutua conuersatione ita gaudent vt aliquando à se vix dixelli queant. Quare si benè erga se inuicem animati sunt, mutuamque inter se charitatem fouent, magno hoc illis solatio est: contra verò si à se inuicem disfidēt, & probris ac conuicijs mutuis se lacerant, magnarum id eis molestiarum & anxietatis causa est, ei maximè qui hanc inter illos dissensionem & rixam suscitauit. Etenim non solum turbatur exterius, sed etiam interius ex continuo conscientiae remorsu quæ ipsum damnat & conuincit violatæ & disruptæ cum legis naturalis, quæ ad concordiam naturaliter inclinata est, tam legis diuinæ quæ pacem cum proximo conseruandam esse præcipit: tum quod diuinam offensionem in-

*Quæ mala
incurrat qui
dissensiones
inter fra-
tres semi-
nat.*

currenit, & dæmonis seruituti se subiecerit. Quod enim Dei offensionem incidat, sapiens testatur cum ait: *Sex sunt quæ odit Dominus & septimum detestatur anima eius.* *Eum videlicet, qui seminat inter fratres discordias.* Quod vero dæmonis seruus efficiatur: sancti Doctores ex multis sacrarum literarum locis coniungunt: nominatim ex eo loco ubi Dominus ait: *Beati pacifici, quoniam filii DEI vocabuntur.* Etenim si pacifici (verba sunt Diui Gregorij) filij DEI sunt, utique illi qui pacem nolunt filij sunt Sathanæ.

Prou. 6.

Qui, ait Diuus Augustinus, odium in corde suo conseruat, actum facit Sathanæ, ac proinde pro Dæmone haberi potest.

Gregor. in pastoral.

Quis igitur cupiat odisse proximum aut inter homines seminare discordias, cum illi qui hoc agunt, Dei offensionem incidant & Sathanæ filijs annumerentur? Quapropter caue, anima Christiana

S. Augu. de doctr. Chr.

tan-

tan-

Ephes. 6.

tantum scelus, & ut hoc fiat, sollicita sit, iuxta consilium S. Pauli, *Conseruare unitatem spiritus in vinculo pacis.* Da etiam operam, iuxta eundem,

Rom. 12.

si fieri potest quod ex te est ut cum omnibus hominibus pacem habeas: hoc est: quantum potueris secundum Deum & rationē ad hoc enitere. Adde secundum Deum & rationem,

*Adulatio
cauenda.*

Psalm. 9.

*Ad vitia
non esse cō-
niendum.*

ne forsitan sub prætextu conseruandæ pacis in adulationis aut conuiuentiæ vitium incidas. Adulatores enim cum omnibus familiaritatem ineunt, atque ad omnia siue bona siue mala sint assentiuntur. Si velis quidpiam, & ipsi volunt: nolis, & ipsi se nolle simulant. Et quod maioris peruersitatis est: sæpè sceleratis hominibus applaudunt, illosque tanquam viros probos & iustos laudibus ornant. In quo Deum grauiter offendunt & prouocant. *Exacerbauit, inquit Psalmista, Dominum peccator: quoniam laudatur in desiderijs animæ suæ.*

Illi verò qui ad aliorum malè facta & excessus, quos corrigere seueriori-

reriorique disciplina coercere debu-
erant (quod vitium sæpe parenti-
bus, Iudicibus & Magistratibus e-
uenit) conuiuent, magnam sibimet-
ipsis, & vniuersæ communitati fa-
ciunt iniuriam. Sibimetipsis: quia
sceleribus aliorum communican-
tes ad similem se pœnam obligant.
Communitati: quia illam non ab
hominibus turbulentis rixas & dif-
fensiones hæc suscitantibus expur-
gant, sed potius causa sunt ruinæ il-
lius. Deus Sauli & Achab Regibus
nunciari præcepit, quod idcirco
puniendi forent quod in eos qui
supplicia merebantur non animad-
uertissent. Et sapiens illos qui alijs
præfunt, siue Parentes sint, siue Ma-
gistratus, siue alij superiores, admo-
net, quod *horrende & cito apparitu-
rus sit eis, & iudicium durissimum in
his qui præfunt facturus.*

Heli Iudæorum summus Ponti-
fex exemplo esse potest Parentibus,
Reges vero supradicti, Principibus
& Dominis terrarum: quia tam il-
le quam hi miseranda morte pro-
pter

*Conuiuen-
tia que ma-
la secum fe-
rat.*

1. Reg. 15.

3. Reg. 20.

Sap. 6.

pter suam conniuentiam perierunt. Deus vult peccata puniri, & illos qui alios perturbant & scandalizāt ab aliorum hominum consortio segregari: hanc enim ob causam Abrahamo Patriarchæ mandauit vt filiū suum Ismaelem domo eijceret, eò quod pacem illius ipse impediret. Hinc S. Paulus ait: *Vtinam & abscedantur qui vos conturbant.* Et rursus: *Auferte malum ex vobisipsis. Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit?* D. Ambrosius duplicem dicit esse misericordiam alteram iustam, iniustam aliam. Saul enim quando Amalec misericordia motus pepercit, hac sua ignoscendi facilitate Deum grauius offendit, quod peccatores nō deleuisset.

Itaque non est pax conseruanda cū alijs per conniuentiā, aut adulationem, sed potius veritas suo tēpore ac loco proferenda: virtutes & qui pietatem ac religionem colunt, laudandi: vitia vero & qui scelerum maculis infames sunt per verum

Gen. 21.

1. Cor. 5.

S. Ambros.
serm. 8. in
Psal. 118.

rum diuini honoris & publicæ quietis zelum abscindendi, & fugiendi.

Ad hæc ei qui pacem habere cupit cum proximo, necessarium est vt ab immodica terrenorum bonorum cupiditate & nimio mundanarum dignitatū desiderio sese despoliet. Nam ex duabus his radicibus omnes ferè inter sæculares ac religiosos dissensiones ac diuisiones existunt. Id testatur S. Iacobus Apostolus. *Vnde, inquit, bella & lites in vobis? Nonne ex concupiscentiis vestris?* Illi qui bonorum terrenorum immodica siti estuant, aut si religiosi sunt exiguis rebus animo nimis inhærent: semper circa illa iurgantur & rixantur: qui vero honores sæculi ambiunt, æqualem neminem pati possunt: humiles aspersionantur, superbis vero sese opponunt: Si humilientur, murmurent, detrahunt, indignantur, seditiones instruunt, atque tum seipsum tum alios perturbant.

*Cupiditas
refecanda
ei qui pacem
cum proximo
cupit
habere.*

Iac. 4.

Qua-

Quapropter anima Christiana, fuge superbiam & bonorum terrenorum cupiditatem: & amore mutuo fraternaque charitate omnes homines complecti stude. Nam ut S. Paulus ait: *Charitas omnia suffert, non irritatur: non querit que sua sunt.* Ex quo fit ut malit alijs cedere, quam cum illis iurgari & contendere.

1. Cor. 12.

Gen. 13.

Abrahami
concordiæ
zelus.

Abraham esse potest exemplo, de quo sacrę literę scribunt, quod cum rixa orta esset inter pastores eius & Loth nepotis eius propter puteos è quibus ad aquabant greges: dixit ad Loth fratrem suum: *Ne quæso sit iurgium inter me & te, & inter pastores meos & pastores tuos: fratres enim sumus. Ecce uniuersa terra coram te est: recede à me obsecro. si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo: si tu dexteram elegeris, ego ad sinistram pergam.* Hac optione sanctus hic Patriarcha rixas quæ pacem & quietem domus suæ ac nepotis sui disturbabant, sustulit. Hoc exemplum imitare: talem in proximos charita-

charitatem exerce: & si religiosa es, fac in minimis rebus, quod hic homo sæcularis in maximis fecit. Et enitere ut potius sis Angelus pacis, quam spiritus diffensionis. Sunt namque nonnulli, qui cum in pace viuere nequeant, hoc bonum alijs inuident, & partim per detractio- nes, partim per falsos rumores eorum qui pacificè viuunt, concordiam infringere, ac discordiæ ignem suscitare conantur. Noli sic facere anima Christiana. Etenim uti antea intellexisti, DEVS tales abomina- tur. *Prou. 6.*

Ad extremum hortor ac moneo te, ut præcepta DEI, & superiorum tuorum custodire labores: nam hæc est vera methodus assequendæ pacis, non modò cum DEO & conscientia tua, quemadmodum in præcedentibus considerationibus declaratum est: sed etiam cum proximo. Sapiens id testatur, cum ait: *Cum placuerint Domino via hominis, inimicos quoque eius conuertet ad pacem.* *Quæ sit vera methodus assequendæ pacis.* *Prou. 16.*

E Via

Psal. 118. Via hominis sunt Dei mandata, vti
S. Propheta David in psalmis ostendit. Hanc igitur viam tene, & pacem habebis. *Deus* etiam pacis, quemadmodum *S. Paulus* ait, *erit tecum*: Deo autem tibi assistente & suo praesidio te sepiente, nihil te perturbare poterit. Etenim *si Deus pro te, quis contra te?* Et quia pax est donum Dei, humiliter ora *B. Virginem Mariam*, Aduocatam tuam, vt apud filium suum intercedere dignetur vt te in hac pace stabiliat, & cum ea gaudium & laetitiam intrinsecam & extrinsecam tibi largiatur, nomē Euz in Aue commutando.

Rom. 8.

MVTANSEVAE NOMEN.
Gaudium spirituale requiri ad facilius enauigandum mare huius mundi.

CONSIDERATIO.

NON inconueniēs aut absurdum est dicere, nomē Euz in Aue conuertere, esse tristitiam in gaudium commutare. Nam quemadmodum (quod notum satis est,) Eua pri
 m2